



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XV. Monachi Cisterciensis ordinis non debent villas, molendina, ecclesias,
altaria poßidere, fidelitates & hominia suscipere, rusticos & tributarios
tenere, nec operam adhibere, vt termini ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

nes admittendum credimus, nisi ex electione canonica vocarum. Sacerdotum vero filios, & maxime in sacerdotio genitos, his temporibus suis succedere parentibus, quarumlibet regionum consuetudo & in donis ciuilibus prohibet, & Canones in ecclesiasticis multo fortius prohibent & execrantur. Personarum quoque filios citra sacros ordines constitutarum plerumque, si tamen merita suffragantur, parentibus suis succedere connuentibus oculis toleramus. Exemplo namque perniciosum est & graue, talia in ecclesia pullulare, per quae & laicis scandalum generetur. Sane tam has personas, quam illas, ab aliis non repellimus beneficiis, si digni inueniantur-

C A P. XV.

*Alexander tertius abbatibus Cistertiensibus in capitulo
Cistertiensi congregatis.*

15. 5.

Philipp. 4.

Recolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc vitis frumentifera, hæc denique vinea Domini sabaoth, sub primis ordinis patribus pullulauit, &c. Et infra: Nunc autem aliqui ex vobis pristinæ institutionis obliti penitus vel ignari, contra ordinis vestri gloriam & decorum, villas, molendina, ecclesias & altaria possident, fidelitates & hominia suscipiunt, rusticos & tributarios tenent: & omne studium adhibent, ut termini eorum dilatentur, quorum conuersatio esse debebat in cælis. Læditur hinc ordo penitus & mutatur, &c. Et infra: Ideoque sanctum & venerabile collegium vestrum precibus & monitis, quibus possumus, exhortamur, quatenus domus illæ quæ a prima sui origine in ordine vestro sunt fundatae, constitutis & ordinatis terminis sint contentæ: nec velint ad ea manus extendere, quæ sine laboribus & periculis multis, & demum sine ordinis magna confusione minime poterunt retinere. Si enim relictis originalibus ordinis statutis, ad communionem volueritis aliorum monasteriorum viam diuertere, oportebit & vos communii iure censeri: quia dignum est ut qui similem cum aliis suscipiunt vitam, similem sentiant in legibus disciplinam. Quoniam domus illæ, quæ de aliis institutionibus ad vestrum se ordinem transtulerunt, vestris omnino satagunt vsibus conformari, ut relictis videlicet possessionibus vel mutatis, quas vestra institutio non recipit,

ANNO
CHRISTI
1173.ANNO
CHRISTI
1173.

ANNO CHRISTI 1179. sic se in omnibus vestræ religioni coaptent, vt quemadmodum se gaudent in societate ordinis, mutatione habitus & obseruatione regulari assumptos, sic etiam in parcitate temporalium rerum se latentur vestris institutionibus conformatos. Sane si super possessionibus ipsis in aliquo de monasteriis vestris apostolica sedis auctoritas dispensauit, a nullo vestrum sumendum est exemplum: quia temerarium est penitus & absurdum & indignum, aliquem sua sibi auctoritate presumere, quod Romana ecclesia alicui monasterio, certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere.

C A P. XVI. Rhemensi archiepiscopo.

Cum H. diu vinculo excommunicationis fuisset ad strictus, tandem praestito iuramento, quod exinde iudicio ecclesiæ stare deberet, beneficium absolutionis obtinuit: sed continuo ad sedem apostolicam postabsolutionem appellavit: & anno transacto ultra, per se vel per alium appellationem prosequi contempserit. Quoniam igitur derisorie appellare videtur, qui appellationem interpositam non prosequitur, fraternitatibus vestræ per A. S. presentibus mandamus, quatenus utraque parte coram te conuocata si tibi constiterit, quod tanto tempore appellationem prosequi contempserit, tu ipsum iudicio tuo stare sub excommunicationis distictione compellas.

Potest aliquis appellare, per se,
& per aliud:
nec per se,
nec per aliud,
per se, non
per alium:
per alium,
non per se.

C A P. XVII.

Eius qui modo vult recedere ad priorem uxorem, quam prius negauit, ecclesia testimonium non recipit: quia variavit verbum suum, & contra semetipsum testimonium tulit, & abstulit sibi fidem in utroque, vt coniugii sacramentum ad inuicem non esse videretur, & opus carnalis commercii contradiceretur.

C A P. XVIII.

Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier: nec mulier potestatem sui corporis habet, sed vir. Potest ergo vir siue mulier peccato suo facere, vt potestatem in corpore alterius perdat: sed facere non potest, vt alteri potestatem sui corporis, quantu in se est, tollat. Quod suum ius est, perdere potest:

Cancil. Tom. 27.

Yyyy

1. Cor. 7.